

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicij Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

Capvt. VII. Prouocationes ad diuinum tribunal factas, non facile imitandas  
esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](#)

ad diuinum tribunal citandos esse. 159

C A P V T . VII.

Prouocationes ad diuinum tribunal fa-  
ctas , non facile imitandas esse.

S. I.

*Non illico omnia imitanda esse, quia de Sanctis,  
in impiorum terrorem, recensentur.*

**R**olixè demonstrauí , multos pi-  
os, sanctos, innocentes homines,  
à tyrannis , iniustè accusatos ,  
damnatos, necatos , ad diuinum třibunal ,  
iudices suos , non sine prodigioso euentu  
miraculōque, euocauisse. Demonstrauí hæc ,  
vt Deum pauperum defensorem, violento-  
rum iudicem , Sanctorum exauditorem esse  
ostenderem , atque vt, ex his iustissimis Dei  
iudicijs , metum frænumque iniicerem ijs ,  
qui, quidquid possunt , audent. Haud am-  
bigo , nonnulos fore , qui documenta à me  
aliò destinata , aliò deriuent , & , si tot ex-  
empla legerint Sanctorum, ea, ad imitatio-  
nem proposita, esse arbitrentur. Itaq; cum  
plausu ista excipient , & sibi sumimopere  
gratulabuntur , de reperto confirmatōquā  
modo ac ratione se vindicandi. Quare iam  
nulla vetula rixabitur ; nullus ciuis litiga-  
bit ; nullus vel seruus , vel puer vapulabit ,  
quim

160 Cap. VII. Non facile homines

quin illico ad diuinum Tribunal appellebantur  
*Magna otia cali*, si illico fieri debet, quod  
petunt impatientes.

§. II.

*Cur lazi non facile debeant, ad diuinum tribu-*  
*nal, alios inuitare?*

Meritò istis dicitur: *Nescitis, quid petatis:*

**Matt. 20.** & illud: *Petitis, & non accipitis: eò quòd ma-*  
**22. Iac. 4.** *lè petatis: ut in concupiscentijs vestris insuma-*  
**8.** *tis.* Nam in primis, non omnia, quæ diui-

no instinctu Sancti fecerunt, sunt imitan-  
da. Deinde, quis sibi sanctitatem polli-  
ceatur? quis non falli potest, cum se se iudi-  
cat innocentem? *Nemo, in sua causa, bo-*  
*nus index.* Amor sui vnumquemque exca-  
cat, vt non videat rectum quod est; recteque  
se putet fecisse, quando maximè deflexit ab  
æquitate. Quin & ira iudicium corrumpit,

**Psal. 6.7.** *vt iniuriam maximam, iustum esse vindi-*

*ciam arbitretur. Turbatus est à furore oca-*  
*lus mens, ait ille. In Hebræo, pro turbatus,*  
*est, caligauit. Vbi quidem sensus est, oculus*  
*meus, propter furem & indignationem*  
*meam, contra turpitudinem peccati, à fle-*  
*tu nimio, quasi corrosus, turbatus est, &*  
*caligauit: potest tamen etiam qui quis furio-*  
*sus id dicere. Non finit enim furor homi-*

*nem*

nem cernere verum. *Nam non potest iratus S. Chrys.*  
*in seipso manere*, ait D. Chrysostomus, *sicut homil.*  
*influctus surgens mare. Ita comiscentur omnia,* 62. ad  
*&, tanquam fons purus, immisso turbatur ca-*  
*no. Quod veteres tragœdi, in Aiace fla-*  
*gellifero ostenderunt. Ajax enim Telamo-*  
*nius, ab Vlysse, in iudicio, victus, præ ira,*  
*insaniens pecora occidit, credens se Vlys-*  
*sem, cum socijs, occidere. Itaq; multi ira-*  
*cundia odioque correpti, & velut œstro*  
*perciti, bestias pro hominibus, homines,*  
*pro bestijs aspiciunt; & non raro innocen-*  
*tes iudicant esse nocentes. Cum ergo ra-*  
*rissime, qui læsi sunt, non fiant iracundi,*  
*facile accidere potest, ut alios reos atque*  
*iniuriosos existiment, quando ipsi rei sunt*  
*atque iniuriosi. Quam male autem isti sibi*  
*consulerent, si rei ipsi innoxios ad diuinum*  
*tribunal, vbi omnia in aperto sunt, trahere*  
*vellent? accusandi non accusaturi. Neque*  
*enim existimare debent, Dei iudicia, esse*  
*sicut sæpe sunt iudicia hominum inexper-*  
*torum, aut affectibus deditorum, apud*  
*quos, prior tempore, prior iure esse consue-*  
*uit; & vicisse est, præuenisse, quia fauor est*  
*primò occupantis. Non sic iudicat Deus, cui-*  
*us sententia nunquam damnat innocentem;*

162 Cap. VII. Non facile homines

tem, nunquam absoluit reum præuenientem.

§. III.

*Aliæ cauſſe, ob quas tutum non eſt, ad Superos  
iudices appellare; et ſi id per ſe illicitum  
non fit.*

Tametsi ergo ea, de qua tot exempla enumerauimus, Sanctorum ad diuinum tribunal appellatio licita, diuinisque legibus contraria non fuerit: tametsi etiam conſtet, per eiuscmodi exempla, diuinam mortali bus iustitiam innotuiffe, Principesq; mul-  
tos didicisse, in ſubditorum ſanguinem no-  
elle deſæuiendum, neque proculcanda iu-  
ra: tametsi etiam mentes recti conſciæ at-  
que innocentes roborentur, per talia ex-  
empla, ut diuinæ iustitiæ fiducia niti affec-  
ſcant: tametsi etiam prohibita non sit eius-  
cmodi prouocatio, quæ eodem animo,  
ijſdémque de cauſis fuſcipitur, quibus rex  
Dauid, Pontifex Zacharias, beatæ illæ ani-  
mæ; Paulus Apostle, Episcopus Benno,  
alijque eam Sancti vſurpauerunt: quis ta-  
men ſibi polliceri potest, non ſolū ean-  
dem, cùm iſtis ſanctitatem, verū etiam  
eandem rectitudinem intentionis? Quām  
citò ſe inſinuat cupiditas vltionis? quām  
facile ſubrepit odiu, aut immoderatus af-  
fectus,

fectus, quo si prouocatio inquietur, non  
aduersarium, sed ipsum damnat prouo-  
cantein.

§. IV.

*Quando sit peccatum mortale, alium è vita  
hac, ad cælestē tribunal citare; &, cur eti-  
am extra casus eiuscmodi, sit abstinen-  
dum? quidquia earum loco  
usurpandum?*

Non loquor h̄ic de illis, qui sciunt, se ali-  
os iniustè, ad vallem Iosaphat, vocare, &  
tamen vel malitia agitati, vel, vt innocen-  
tes videantur, citant; quos constat, citan-  
do mortaliter delinquere; quia & Deum  
pro iniquitatis fauore, aut certè ludibrio  
habent, & proximo grauiter nocent, quem,  
tanquam innocentie oppressorem, suggil-  
lant, ac iniecta vicinæ mortis imaginatio-  
ne, terrent. Non loquor, inquam, de istis  
tam manifestè delinquentibus: de illis lo-  
quor, qui se ipsos innocentes, aduersarios  
iniuriosos, nec iam, in rebus minimis, aut  
puerilibus, sed in maximis initios arbi-  
trantur. His ipsis, aio, admodum esse pe-  
riculosum, si Sanctorum illas citationes ve-  
lint imitari; cum ipsorum nec comperta sit  
sanctitas; nec certa innocentia; nec iudi-  
cium ab errandi periculo liberum; nec sine

164 Cap. VII. Non facile homines

cæco sui amore affectus; quo tenebras of-  
fundente, non possunt videre veritatem;  
sed vel latentem gloriam, vel tacitam vin-  
dictam seellantur. Habent illi multa alia  
innocentiæ suæ præsidia; habent amicos;  
habent magistratus; habent patrocinium  
veritatis, quæ semper tandem erumpit in  
lucem: &, si hæc desint, habent asylum  
orationis; habent auxilia Diuorum; ha-  
bent, uno verbo, Deum; qui ait: *Mibi vin-  
dicta, & ego retribuam.* Et iterum: *Quia in-  
dicabit Dominus populum suum.* Illi igitur  
relinquendum est officium iudicandi, diésq;  
illa expectanda, non præscribenda; formi-  
danda, non desideranda.


§. V.

SS. Scripturæ intempestiuis appellationibus  
obnunciantes.

Qua de caussa Amos eiuscmodi malas  
appellationes interdicere videtur, cum ait:  
**Amos. 5.** *Væ desiderantibus diem Domini: ad quid eam  
vobis? dies Domini ista, tenebrae & non lux.*  
Dies Domini, consueta Scripturæ phras,.  
diem iudicij seu vniuersalis & extremi, seu  
singularis, quod in morte vniuersiūsq; per-  
agitur, designat. Eam itaq; diem, in vin-  
dictam inimicorum desiderantibus, *væ in-*  
*tonat*

Hebr. 10.  
30.  
Deut. 32.  
35.

tonat Propheta , qui & addit : *dies Domini ista tenebra & non lux* , quia obscurum miniméque clarum est, quando futura sit; *qua enim hora non putabitur filius hominis veni-* Luc. 12.  
*et ; qui non voluit , esse nostrum , nosse tem-* 40.  
*pora & momenta , qua Pater posuit in sua po-* Act. 1. 8.  
*testate.* Temerarium igitur est , sine peculia-  
ri instinctu , aut graui caussa , diem certum  
velle nosse , & , quod plus est , alteri velle  
dicere ac designare , quo sit iudicandus. In  
Iudicis , non in actoris arbitrio tempus iu-  
dicandi est relinquendum. Quod se fecisse  
Ieremias gloriatur illis verbis: *Ecce , ipsi di-* Ierem. 17.  
*cunt ad me : Ubi est verbum Domini ? veniat . 15.*  
*Et ego non sum turbatus , te pastorem sequens :*  
*& diem hominis non desideravi , tu sis. Quod*  
*egressum est de labijs meis , rectū in cōspectu tuo*  
*fuit.* Gaudebat scilicet in sinu suo , & gra-  
tulabatur conscientiæ suæ Ieremias, iniquis-  
simo regis Sedeciaæ odio vinculis & morti  
addictus , quòd tyranno diem , apud diui-  
num tribunal , non dixerit , sed eum  
libero summi Iudicis arbitrio re-  
liquerit iudicandum.



## §. VI.

*Vindicandi animus, qui non necessarijs appella-  
tionibus inesse potest, SS. litteris aduersus.*

Ad eandem patientiam nos dirigunt do-  
ctrina & exempla Christi ac Sanctorū. Do-

**Matth. 6.** *ctrina enim eius non est, vt oremus, Voca ad  
120. *indictum, & plece inimicos nostros : sed : Di-  
mitte nobis debita nostra, sicut & nos dimit-  
mus debitoribus nostris. Quo modo dimitit,  
qui aduersarium ad iudicem mittit? Non est  
hoc dare veniam, sed exigere pœnam. Aliud  
præceptum scripsit nobis Magister noster :**

**Matth. 5.** *Diligite inimicos vestros, inquit, benefacite his,  
44. qui oderunt vos: & orate pro persequentibus &  
calumniantibus vos. Citare illos ad iudicium,  
non est, pro illis, sed contra illos orare; non  
illos diligere; non benefacere, sed velle mori,  
sed velle illos iudicari & damnari, sed  
velle illis iustitiam diuinam immittere, non  
misericordiam impetrare. Quod etiam A-*

**I. Theffal.** *postolus gentium vetuit illis verbis: Videte,  
5. 15. ne quis malum pro malo alicui reddat : sed sem-  
per quod bonum est, sectamini in iniicem, &  
in omnes. Contrarium prorsus faciunt, qui  
iustissimam talionis legem existimantes,  
non bonum pro malo, sed malum pro ma-  
lo, dentem pro dente, mortem pro morte*

*red-*

reddere, Paulo reclamante, petunt, for-  
midando Dei decreto, inimicos suos è me-  
dio tolli, atque ad Tartareos ignes condem-  
nari.

§. VII.

Vindictæ cupiditas, quæ appellationibus eiusce-  
modi facile interuenit, Dei exemplo  
contraria est.

Si quis exempla vult imitari, habet sanè  
exempla, atque in primis ipsius Dei. Qua-  
mobrem Christus, cum dixisset: orate pro Matth. 5.  
persequentibus & calumniantibus vos, statim 44.  
exemplum subiungens dixit: ut sitis filii Patris  
vestri qui in cælis est: qui solem suum oriri facit  
super bonos & malos: & pluit super iustos & in-  
iustos. Sedet, in cælis, Deus, & audit quo-  
tidie homines sibi maledicentes, impiosq;  
dirissime conuiciantes ac blasphemantes; &  
noua semper sclera excogitantes, quan-  
tumque in ipsis est, giganteo ausu, diuinam  
maiestatem è cælo deripere conantes: audit  
ista, & videt, & patitur. Quid dico, pati-  
tur? cum habeat potestatem mittere in ge-  
hennam, &, missis è nube fulminibus, ta-  
les exterminare; sustinet illos, solem suum  
oriri facit illis, pluuiam mittit, vt terra, ad  
eos alendos irrigetur: nec hoc tantum fa-

L 4 cit,

cit , sed etiam mittit illis angelos suos , qui eos in viam , atque ad æternæ gloriæ semi-tam reducant. Pulcherrimè aureū illud os:

S. Chry-  
st. hom.  
78.

*At , inquies , calumniam passus sum , & ferre iubes aquanimitter , & quo modo potero ? Facilime profectò , sit tantùm in cælum respicias. Cigita , quòd illic super Cherubim sedenti faciū es similis : nam & ille contumelijs affectus fuit , & tolerauit , & opprobria pertulit ; nec vltus est percussus , & non insurrexit , sed è contrareddidit beneficia his , qui talia perpetrauerant , nōsq; inßit suos imitatores esse . Cælum deniq; respice , & postea quæ te Deus suscepturum promisit , si generosè feras. Christi igitur nobis præluxit exemplum , cui , cum vita , per summam iniuriam , infami morte , eriperetur , tamen ad alterius vitæ vadimonium neque Iudeos , neque Pilatum , neque carnifex , neque vllum alium euocauit , sed cum malediceretur , non maledicebat : cum pateretur , non comminabatur : tradebat autem iudicanti se iniuste . Latroni quoque paulo priùs conuiciato , non dixit : Hodie mecum eris in Iudicio , sed , Hodie mecum eris in Paradiso. Pro illis autem , qui , non contenti , eum flagris lacerasse , & clavis in crucem adegisse , insuper etiam ei illudebant , auream illam o-*

I. Petr. 2.  
23.

Luc. 23.  
43.

ad diuinum tribunal citandos esse. 169.

rationem fudit: Pater, dimitte illis; non enim **Luc. 23.**  
sciunt, quid faciunt. **34.**

§. VIII.

Quām sit à Sanctorum exemplis alienum, in-  
instis vindicijs ac sacramentis alijs in-  
dicium Dei petere?

Hanc Magistri sui heroicam patientiam  
ac fortitudinem imitatus est aliorum quoq;  
Sanctorum ingens numerus. Atque primus  
quidem Stephanus, qui inter lapidantes,  
pro lapidantibus orans dixit: **Domine, ne Act. 7.**  
**statuas illis hoc peccatum.** Deinde & Paulus, **59.**  
qui de se scribit: **Optabam ego ipse anathema Rom. 9.**  
**esse à Christo, pro fratribus meis,** qui in vitam **3.**  
ipsius obstinatissimè coniurauerant. His è  
diametro aduersantur, qui, mortalis vitæ  
caussa, Deum iudicem appellantes, illau-  
dabili verborū metamorphosi exclamant:  
**Ne ignosce, Pater, sed indica, vindica;** **statu-**  
**as illis hoc peccatum.** **Non sim ego anathema**  
**pro fratribus meis, sed illi pro me sint anathe-**  
**ma.** Neque multi martyres huius appella-  
tionis ius usurpare solebant, licet innocen-  
tissimè, crudelissimèq; occiderentur. Quin  
potiùs, post acceptam iniquissimæ mortis  
sententiam solennes eorum voces erant, vt  
exclamarent: **DEO GRATIAS,** quod di-

L 5 fertè

**Iustin. A-** sertè testatur Iustinus; & perspicuum est ex  
**polog. t.** vita S. Cypriani; atque antiquissimo Ter-  
**Tertul-** tulliano attestante, *Christianos magis dam-*  
**lian. ad** *natos, quam absolutos gaudere.* Quia, in ve-  
**Scapulā.** teri quoque Testamento, Ioseph in cister-  
nam, Ieremias in cœni, Daniel in leonum  
lacum, tres pueri in fornacem inflammatis-  
simam missi, cum vtiq; de vita eorum inno-  
centissima eripienda ageretur, tamen non  
leguntur, vel fratres, vel tyrannos, vel car-  
nifices, ad diuinum tribunal, citauisse; &  
tamen iustus iudex Iosepho fratres subiecit,  
Ieremiam è cæno eduxit; Danielis aduersa-  
rios leonibus præbuit deuorandos; trium  
puerorum lictores, flamma è fornace in il-  
los excussa, vistulauit.

## §. IX.

*Peccato proximum esse, si non est in peccato,*  
*quisquis eiuscmodi iudicis vult pecca-*  
*tum, in altero, sine insta causa,*  
*vindicari.*

Quid si multos idcirco ad extrema addu-  
cit malus sathan, ut ad impatientiam atque  
vindictam adducat? vicit, si impatiētes fe-  
cit. deiecit, si in vindictam incendit. habet,  
quod vult, si tu iram tuam amplius in po-  
testa-

testate non habes. At turpis est nauigij rector, inquit Seneca, cui gubernacula fluctus eripuit; qui fluctuantia vela deseruit, & per misit tempestati nauem: at ille vel in naufragio laudandus, quem obruit mare, clauum tenet, & obnixum. Clavus est recta ratio, quæ impatientis animi impetum & fluctus reprimere debet. Non reprimit autem, si iniuriarum ac mortis impatientiâ, extremum iudicij diem præuenire gestiens, eousque præstolari detrectat, donec ultro Deus, de iniurijs eius vindictam sumat; quasi scilicet æquo tardior esset ad iudicandum. Hi, si sinum excutere penitus vellent, viderent profectò, non laudabili caussâ, non diuini honoris aut iustitiae zelo, se alios iubere, in ius ambulare; sed priuatæ vindictæ cupiditate occupatos, atque in præceps actos, præreptam sibi, in hac vita, iniuriarum ultionem, in alterius vitæ tribunali querere, eamque, nimis incenso animo, affectare, eaque propter etiam intemperanter flagitare. Non est res exigui momenti, eiuscemodi actionem instituere. Qui alterum vadatur, ac in ius diuinum vocat, mortem illius desiderat, sine qua se sistere non potest. At mortem alterius, priuata autho-

ritate,

ritate , desiderare , non minùs illicitum est ,  
atq; procurare . Videant igitur , quid agant ,  
qui , sine Numinis iussu , aut instinctu , sine  
authoritate debita , pprio iudicio , affectu ,  
odio , fortasse ipsi nocentiores , alterum , à  
quo se lèflos esse somniant , aut putant , vita  
optant , immo postulant à Deo spoliari . Ne-  
que digni sunt tales rogatores , vt exaudian-  
tur ; immo digni sunt , vt ipsi in iudicium  
eant , quod alijs volunt præparare .

## §. X.

*Etsi vindictam innocentes non petant , non ta-  
men idcirco securos esse oportere inno-  
centum oppressores .*

Sapientissime faciunt , qui in patientia  
sua animas suas possidere docti , in omni ca-  
su , & tribulatione , dicunt : *Et nunc qua est  
expectatio mea ? nonne Dominus ?* Meum est  
remittere iniurias , Domini autem & remit-  
tentem , & inferentem iudicare ; à quo , e-  
tiam me vindictam non petente , parata est ,  
  
Psal. 38.  
8. *terribilis quedam expectatio iudicij , & ignis  
emulatio qua consumtura est aduersarios .* Hác  
etsi petere non debemus , possunt tamen me-  
ritò formidare , qui , cum omnia audeant ,  
se , quia grauissimè violatos tacere vident ,  
illico securos arbitrantur . Tacuit & Abel ,  
neque

Hebr. 10.  
27.

neque ad diuinum tribunal fratrem citauit,  
cum ab eo crudelissimè innocens trucidare-  
tur; non tacuit tamen sanguis eius, qui ad <sup>Gen. 10.</sup>  
Deum de terra clamauit. Neque enim ver-  
ba tantùm, sed etiam facta ad Deum cla-  
mant; longèque potentiùs clamant, ac vin-  
dictam postulan̄t. Neque dubium est, à vi-  
uis & mortuis, viuōs oppressores eorū, an-  
te diuinum tribunal, etiam sine voce, accu-  
sari; neque raro etiam, ad causam, coram  
supremo, disceptādā citari, iniurijs ip-  
sis exigentibus vindictam.

§. XI.

*Initijs ipsis vindictam de cælo postulantibus;*  
*Deum vindicem habere illum, qui, ex-*  
*emplo Sidonij Apollinaris, vindi-*  
*citam nullam expetit.*

Cui rei confirmandæ luculentus est testis **S. Greg.**  
**D. Gregorius Turonensis**, qui hanc histo-  
riā recitat. Aruernensis Episcopus, cui no-  
men Sidonius Apollinaris, æquè sanctus ac  
eruditus, moribus & artibus præstans, vt  
coronas in cælo multiplicaret, virtutis mer-  
cedem, in terris, accepit tribulationes. Ne-  
cessē enim est, vt virtutem oderint vitio-  
rum amatores; quam ne cogantur ample-  
cti, impugnant atque repellunt. Quam ob-  
caus.

Turon.  
l. 2. hist.  
Franc. e.  
23. & Bz.  
ronius

**An. 486.**

caussam, Sidonius quoque duos nactus est  
sacerdotes disciplina indigentes, quorum

**Sap. 2. 12.** quotidianus sermo erat: *Circumueniamus  
iustum, quoniam inutilis est nobis, & contra-  
rius est operibus nostris, & improperat nobis pec-  
cata legis, & diffamat in nos peccata disciplina  
nostra.* Quid non efficiunt duo conspirato-  
res? immo quid Orcus, per illos non efficit?  
Duo erant, sed tribus Furijs agitabantur.  
Nam & moniti vindictam spirabant; & ca-  
stigationem metuentes conabantur amo-  
liri correctorem; & denique ambitione in-  
flammati, locum sperabant, si sedem vacu-  
am fecissent. Hinc conuenticula, hinc cō-  
ciliabula, hinc denique vis aperta, qua vi-  
rum innocentissimum & magistratu dignis-  
simum, omni sacra potestate priuatum ad  
vltima redegerunt. Siquidem vix tantum  
cibi præbuerunt afflito, ut vitam sustenta-  
re posset, & vixisse mallet, quam viuere.  
Sidonius, tamen, et si grauibus malis irrita-  
tus, & caussæ æquitate fultus, iniuriam  
laudabilius tolerari, quam propulsari ra-  
tus, quasi non sentiret, aut, tanquam si  
meruisset, ita patienter omnia tulit. Ita-  
que non expostulare, non implorare ami-  
cos, non circumspicere patronos, non cer-  
tare

tare foro , non recuperare amissam dignitatem voluit ; sed omnia Deo commisit iudicijsq; diuinis , sine quibus Mundus non gubernatur. Felix, quisquis hoc facere nūit ; nec enim magnam duntaxat is animo suo conciliat tranquillitatem ; sed etiam, quia se ipsum non vindicat , Deum vindicem parat. Quid & Sidonio euenit. Conuenerat inter improbos duos sacerdotes, vt die altera ; Episcopum è templo extractum eliminarent ; idque vnius eorum audacior , ac sine fronte homo palam ei ministari non est veritus. Et fecisset, ni diuina manus præuenisset insanientem. Tota no[n]te, futuram sequentis lucis scenam secum meditatus , vix expectare potuit solem orientem. Neque expectauit ; nam , ante diluculum , secus atq; aliás assueuerat , è plurimis exiliens ad facinus se aptabat. Verū priusquam domo exiret, sellas antē petiit Patroclianas, & comitabatur euntē puer cum lucerna. Ibi dum moratur diutiūs, mittit coniuratus alter , facinoris tam iniqui socius, & significari iubet, tempus esse exequendi , cuius heri consilium cepissent: nihil obstatuli apparere , properaret modò. Ventum est ad puerum iam diu , cum cereo usque

que

que ad impatientiā & Diras, præstolantem.  
Is ergo herum moniturus (cum pulsanti ni-  
hil responsum intus esset) ianuām tandem  
referat, & reperit miserūm vñā & aluum, &  
vitam exonerauisse. Tali loco, mori dignus  
erat, qui Episcopūm loco mouit. Episcopus  
igitur, Dēo cāuſsam ipsius agente, in offici-  
um repositus est. Non diu tamen postea  
vehementiūs ægrotans iussit se in templum  
deportari. Ibi mœſtūs eum populus inter-  
rogauit, quisnam esset successurus, in offi-  
cio pastoris? cui ille, *Ecce, inquit, frater*  
*meus Aprunculus viuit, & hic pastoris munus*  
*occupabit.* Hoc responsum, quia non capie-  
bant, mente iam alienata, prolatum exi-  
stimabant, sed paulo post, vaticinium fui-  
se, intellexerunt. Quippe Sidoniō è viuis  
subducto; alter ille sacerdos persecutor, ni-  
hil miserabili exitū commilitonis sui per-  
territus, velut optatissima occasione obla-  
ta, cui diu fuerat insidiatus, gauiſus, tri-  
umphum egit, tiarāmque capiti suo rapere  
est conatus. Nec quidquam certius futurum  
existimauit, quām vt ipſe succederet. Eni-  
muerò id iam ei familiares gratulabantur;  
id de eo, in vulgus spargebant; id ipſe quo-  
que (tam stolida est superborum credulitas)

amis-

amicioribus suis dictitabat, neque iam pro arcano habebat; sed ausus est etiam perquā glorianter iactare: Nunc demum, diuino iudicio, patere, cuius cauſa iustior extiterit, suāne, an Sidonij; aut cui, à Deo, pedum Pontificale sit destinatum. Deniq; ita egit; ac si Antistēs iam eſſet, nec quidquam omisit, quod eam in rem illi posset feruire. Quare proximo quoque, à Sidonij morte, Dominico die, dapes magnificas apparuit; ad quas ciuitatis primates adhibuit. O cæcas hominum mentes! & futurorum imprudidas! quām ſæpe exitio proximi exultant, & funus ſuum ipſi ducunt ouantes? Designatum Præſulem ad mensam accubuisse putatis? Balthassar accubuit, appensus in ſtatera, & in- Dan. §.  
uentus minus habens. Sedebat ſuo quifque 27.  
ordine; ſtabant in ferculis alites; & cibi nō ad palatum modò, ſed etiam ad oculum facti; iam gliscebant colloquia; iam ſitis vinū poſtulabat. Ante omnes, vt par erat, futuro Episcopo pocillator ſcyphum præbuit; quem ille manu ſuſtiñens meditatur, in cuius sanitatem eſſet propinandus. Nunquam mors malis opportuna venit; ſed; inter conuiua & epulas, longè im-

M porz

portunissima. Itaque non iam mitræ, sed Libitinæ candidatus, dum poculum tollit, dum ei nomen imponit, sentit repente, quām verè dictum fit; multa inter calicem & suprema labra cädere: nam & ille ipse cecidit, & priùs è Letheo, quām suo, pocalo bilit. Siquidem iam iam vinum probaturus, subita formidine, cohorruit, expalluit, & vitro de manu cadente, funis fuit. Noluit postea sic propinanti quisquā respondere. Hæc omnia, ita uti contigerunt, pridie pocillatori per somnium obiecta narrat Gregorius Turonensis. Quis non videat iniuriæ patientissimi Sidonij vindicem fuisse Deum? ad quem, Sidonio tacente, vel iniuria Sidonij satis clare appellauit; quæ iniuriosorum vnum quidem præmisit, alterum verò, post Præfulis mortem, ad iudicium traxit; ut manifestum fieret, Deum ante, & post obitum, suorum iniurias vlcisci.

## §. XII.

*Exemplo Nantini, multos, etiam non citatos, in hac vita, ad tribunal tamen Dei, vel à mortuis citari.*

Sed Sidonius tacens ultorem Deum inventit, innumeri, qui in vita quidem tacent, post

post mortem demum loquuntur, & accusant eos, à quibus indignissimè, dum viuerent, habiti fuerunt. Dabo, ex eodem scriptore historiam, quæ meritò faciat violentis illis magnatibus ambas aures tintinare. Nantinus Engolismensis Comes homo factiosus, auditus potentiaz, honoris, diuitiarum, ceterùm vitia sua callidè occultans, priùs sacerdotem, postea Pontificem Burdigalensem, Heraclium nomine, varijs modis aggressus, grauibus iniurijs vexauit. Nec potuit odium multorum malorum illatione satiari; sed flammæ instar semper auctū, semper maiora tentauit. Aliquot villas ac prædia Maracharius auunculus eius, templis, ac sacerdotibus testamento legārat. Eas villas ac prædia Nantinus, per vim occupauit. Ut iniuriam tegeret, prætextum inuenit. Vulgabat enim illi Ecclesiaz, nullo iure, deberi bona hæreditaria, cuius Clerici testamentarium interemissent. Cui iniustiaz non potest color induci? At non passus est, se hoc suco falli Heraclius. Igitur, comperta rei iniquitate, Comitem anathemate fulminatum, ex Ecclesia exesse iussit. Comes, qui pius videri cupiebat, vulpino ingenio, obedientiam simulauit. Nam sa-

Gregor.  
Turon. 13  
s. histor.  
Franc.  
c. 36.

cerdotum concilio , apud Sanctonas , habito , se stitit , subiecit , spopondit omnia se , quæ vi interuertisset , redditurum : dummodo iterum templum intrare , sacrisque officijs interesse permitteretur . Voti compos , ad ingenium redijt , ostenditque , quæ verborum ambiguitate concilium sacrum decepisset . Quasdam enim domos restituit , sed , usque ad puluisculum exinanitas ac spoliatas . Quod ubi intellexit Episcopus , denuò anathemate ferendum censuit , atq; sacris omnibus rebus interdicendum . Ita constantia , cū perfidia certauit ; cuius constantiæ prœmium ut acciperet Episcopus , paulo post beata morte defunctus est . Praesule mortuo , quasi amoto pastore , lupus iterum se ouibus Christi aggregauit . Ut enim infamiam declinaret Comes , aditum denuò ad Ecclesiam impetravit , sed non quo decebat modo ; quia non nudis pedibus , ut pœnitens , sed manibus argenteis rediuit . Humanis ista oculis , non diuinis , satis faciunt ; coram quibus nulla potest hypocris occulti . Defunctus erat iam , ante aliquot menses , Heraclius Antistes , neq; sancte Nantinum ad Dei tribunal citauerat ; poterat ergo sibi Comes persuadere , omnia iam sua ,

sua, apud illum, facinora esse obliterata. Sed  
si unus passer non est in obliuione apud Deum, Luc. xii. 6.  
quo pacto posset tam sancti Præfulis obli-  
uisci? Ergo vix pauci menses, à morte  
Heraclij ierant, cum Nantinus flagrantissi-  
ma febri repente incensus, cæpit, more in-  
sanientis, vociferari: *Hec, hec, ab Hera-  
clio Antistite exuror; ab illo crucior, ab illo ad  
iudicium vocor: Agnosco facinus, recordor in-  
iuriarum, quibus eum oneraui.* In his ipsis cla-  
moribus, febrili incendo consumtus, ne-  
fastum spiritum, ad diuinum tribunal (vti-  
nam non etiam ad Gehennæ incendium!)  
expuit.

§. XIII.

*Sine cura esse posse iniuste vexatos, etiam si ad-  
uersarios suos in ius secum ire diuinum  
non iubeant, in hac vita.*

Videtis hīc, ô Christiani, nulla opus esse  
vobis, in hac vita, ad iniurias vindicandas,  
citatione? Hīc nunc patientiæ tempus est;  
in altera vita, erit tempus vindictæ. Cum  
diuino tribunali astabitis, sine peccato, &  
vlo periculo, poteritis persecutores ve-  
stros, itidem ad illud, in ius, vocare. Nunc,  
vobis tacentibus, caussam vestrā agit Deus;  
si eum agere sinitis, & non anteuertitis. Ve-  
rè S. Gregorius scripsit: *Delinquenti Domi-*

S. Greg. nus nequaquam parcit; quia delictum, sine ultione.  
 I. 9. Mo- non deserit. Aut enim ipse homo in se pœnitens.  
 tal. c. 27. punit, aut hoc Deus cum homine vindicans per-  
 entit. Nequaquam igitur peccato parcitur, quia  
 nullaten⁹ sine vindicta laxatur. Deo itaq; hanc  
 Deut. 32 curam relinquite, quia sanguinem seruorum  
 43. suorum vlciscetur: & vindicta retribuet in hostes  
 eorum. §. XIV.

*Sine cura esse non posse iniuste vexantes, etiam si  
 iniuste vexati, eos in hac vita, non iubeant  
 secum in ius diuinum ambulare.*

Vos autem, ò viri Illustres, & Illu-  
 strissimi, nolite, vobis promittere impu-  
 nitatem, si ad vallem Iosaphat vos non  
 auditis euocari ab ijs, quos tyrannicè pre-  
 mitis; quorum sanguinem exsugitis; quo-  
 rum agros, fundos, piscinas, siluas, peco-  
 ra inuaditis; quorum pecunias detinetis, e-  
 quos abducitis, villas incenditis, filios &  
 famulos occiditis; quorum totas regiones  
 populationi, vastationi, in compendio di-  
 cam, bello diuturno, & affectatè protra-  
 eto exponitis. Esto nemo viuens, nemo mo-  
 riens vos ad Dei tribunal citet: citabunt ta-  
 men mortui, tantarum vtique iniuriarum  
 non immemores futuri; citabunt ipsa faci-  
 nora vestra, ad cælum, contra vos, cla-

man-

mantia; citabit ipsa Numinis iustitia, quæ  
multos dñmnat, quos nemo hominum ac-  
cusat. Iam caussæ latent, scietis aliquando,  
cur iste in iuuentute, ille in viridi ætate, a-  
lius tam validis adhuc viribus; & vnuſ qui-  
dem repente morbo, alius repente ca-  
ſu, tertius veneno, quartus in fluvio perie-  
rit. Aspexit Deus iniurias pauperum, &  
ad iudicium suum illos, è vita, euocauit.  
Hoc est, quod Spiritus S. monet: *Noli at-* Eccli. 5.1.  
*tendere ad possessiones iniquas, & ne dixeris:*  
*Est mihi sufficiens vita: nihil enim proderit in*  
*tempore vindictæ & obductionis. Ne sequar-*  
*ris in fortitudine tua concupiscentia cordis tui:*  
*&, ne dixeris: Quomodo potui? aut quis me*  
*subjicit propter facta mea? Deus enim vindi-*  
*cans vindicabit. Ne dixeris: Peccavi, & quid*  
*mihi accidit triste? Altissimus est enim patiens*  
*redditor. Atque ex his disputatis satis con-*  
*stat, posse innocentiam, citationis sorte,*  
*defendi, si homines citatione rectè, & fi-*  
*ne debito, vtantur; non autem facile hue*  
*veniendum; ne abutantur. Siquidem etiam*  
*corpori remedia periculosa nunquam, aut*  
*non, nisi summa cautione, adhibentur.*

F I N I S.

Cum facultate superiorum.

M 4

I N.